



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput trigesimum sextum. Jesus in Galilaea de Deo praedicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

CAPUT XXXVI.

Jesús in Galilæa de Deo prædicat.

ISA. 9. 1, 2. Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali; & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

MATTH. 4. 12, & seq. Cum autem audisset Jesus quod Johannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cepit Jesus prædicare, & dicere, Penitentiam agite: appropinquavit enim regnum celorum.

Marc. 1. 14. Postquam autem traditus est Johannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium Dei.

Luc. 4. 14, 15, 31. Et regressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per universam regionem de illo: & ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilæa, ibique docebat illos Sabbatibus.

Joh. 4. 43. Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilæa, ubi fecit aquam vinum. Et alibi passim.

CAPUT XXXVII.

Jesús parabolis inter concionandum & docendum sæpissime utitur.

PSALM. 77. 2. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.

MATTH. 13. 3, & seq. Locutus est eis multa in parabolis. Et accedentes Discipuli dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Hac omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. Et **Marc.** 4. 2, & seq. & **12. 1. Luc.** 8. 9, 10. & alias sæpe.

Joh. 16. 25, 29. Hac in proverbis locutus sum vobis: venit hora, cum jam non in proverbis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Dicant ei Discipuli